Fragmentarium

Sicut a corpore quoque composita eiusdem declinationem seruant.

ne antipho inuenitur, pro fluuia fide titane. immemoris titane. madida memoria, et hoc solum in or desinens habuit comparatiuum memorior. Indecor indecoris. Uirgilius in XI. non tamen indecorem tua te regina reliquit. Idem in XII. nec genus indecores sine me haec haud mollia fatu. Inueniuntur tamen etiam simplex decor decoris penultima correpta apud ueteres. Si enim mos quando producitur decoris decora decorum accipitur. Neuius in carmine belli punici. magnamque domum decoremque ditem uexerant. Aliter enim iambus stare non potest. Salustius in III. armis et armis decoribus cultus. In eodem. dedecores multique terga ab hostibus caedebantur. quae a b eo diriuata ut composita quidem est decus decoris. illius declinationem seruant. bicorpor bicorporis. tricorpor tricorporis. ut accius in eriphila. pallas bicorpor anguium spiras trahit. Uirgilius in VI. Gorgones arpyiaeque et forma tricorporis umbrae. haec arbor quoque arboris, quod a robore diriuatum. Illius declinationem seruans corripuit penultimam genetiui. Et a puero composita. publipor publiporis. et marcipor marciporis, sic probatur. Ita enim antiqui pro publii puer et marcipuer dicebant. quae o non producunt in obliquis casibus. Salustius in III. historiarum hoc protulit. unus constitit in agro Lucano. gnarus loci nomine publipor. Neutra quoque et greca omnia correpta o. addita is. faciunt genetiuum. ut hoc marmor marmoris. aequor aequoris. hic hector hectoris. actor actoris. quando est nomen proprium grecum. Uirgilius. actoris aurunci spolium quassatque trementem. A beo autem quod est hoc ador genetiuus . . . mus . . . sequenti . . . cui diriuatiuum o productam habet contra rationem aliorum. quae ex neutris eiusdem terminationis diriuantur. Uirgilius in VII. et adorea liba per herbam. subiciunt epulis. et pitto ideo producit. quia ab uerbo diriuatiuum producente o penultimam. id est adoro. Ergo ador quoque cum ab eodem sit uerbo. necessario si declinaretur produceret o in genetiuo. est tamen prohibebat regula neutrorum in or terminantium. Duabus igitur sibi aduersis regulis repugnantibus, mansit indeclinabile. Quamuis inueniatur huius quoque apud quosdam ueterum genetiuus . . . producens. mihi corripiens penultimam secundum sup.

in loco quem xerolophum uocant. Sunt autem scripta sic. ΔΑΜΑΦΑΓΟΝ. per ΔΑ ΜΑΦΑΩΝ ΛΑΟΚΑΓΟΝ. per ΛΑΩΚΑΩΝ. hic glos gloris. hoc os correptum ossis. Ouidius in V. metamorphoseon. qui post quam cecidit ferrumque ex osse reuulsum est. Quidam tamen ueterum et hoc ossu et hoc . . . ium proferebant. Unde pacubius in chryse. ossum inhumatum aestuosam auram. Accius uero in annalibus. fraxinus fissa ferox infensa infinditur ossis. Cato tamen os protulit in III. originum. si quis membrum rupit aut os fregit talione proximus cognatus ulciscitur. Os pro . . . orum oris. hic et haec custos custodis. ideo in dis desinit. quia uenit a uerbo custodio. Greca eidem terminationis genetiuum grecum sequuntur. os finali in is conuersa. ΧΡΙΣΕΡΩΣ ΧΡΙΣΕΡΩΤΟΣ. chriseros chriserotis. ΗΡΩΣ ΗΡΩΟΣ. heros herois. ΜΙΝΩΣ ΜΙΝΩΟΣ. minos minois. Salustius tamen minonis protulit genetiuum in II. historiarum. Dedalum ex sicilia profectum. quod minonis iram atque opes fugerat. Nec tamen hoc sine exemplo apud grecos quoque inuenitur. Siracusii enim heron pro heros dicunt. sic sophoron. ΠΑΡΗΤΩΝΕΣΙ ΝΟΝ ΗΡΟΣΙ dixit. Similiter ergo et minoni pro minos. romani autem plerumque solent in on terminantia etiam abiectione n proferre per o. ut leo draco. sic ergo mino. gobio quoque dicunt. pro ΚΩΒΙΟΣ abiecta s. Itaque mirabilius est athos athonis protulit Cicero in III. de re publica. Quid ergo illa sibi uult absurda exceptio nisi si quis athon pro monumento uult funditus efficere. quis enim est athos aut olimpus tantus. Sed hoc in us correptam dehinc attice platum est. Quomodo ΑΝΔΡΟΓΕΩΣ. ΑΝΔΡΟΓΕΩΣ. In us correpta desinentia masculina latina s. t. c. t. x. antecedentibus si sint rerum incorporalium uocabula. quarte sunt declinationis. ut hic nisus huius nisus. hic casus huius casus. hic situs huius situs. hic positus huius positus. hic partus huius partus. Quamuis haec partio huius partionis antiqui protulisse inueniuntur. Plautus in truculento. horresco miseram mentionem quotiens fit partionis. hic sexus huius sexus. hic luxus huius luxus. Similiter quarte si que rerum uocabulis omonima inueniuntur. ut magistratus. ΗΑΡΧΗ ΚΑΙΟ ΑΡΧΩΝ. huius ma

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, Latin 10403, fol. 6v-7r – Priscian, Institutiones grammaticae
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-uvgs/2060/25470)